



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Introductio Lectoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

# INTRODVCTIO LECTORIS.



EDIFICIVM enim vides : via munienda est, vt adeas, & me & Senecam cum fructu legas. Duo dicam : & *Quid à me* hic factum, & *Quid à te* velim : da aurium, siue oculorum leuem operam, disces quæ ex vsu sit sciuisse. De me primùm, pro copiâ ingenij, aut iudicij ista præstitisse. Primò,

Senecæ CONTEXTVM, & ipsa verba, quàm emendatissima dedisse : secutum meos aut alienos libros veteres : quos diligenter comparavi, & iudicio ex iis elegi, aut reieci. Adiumentum mihi in eo à quatuor eruditis viris, qui præuerunt : Erasmo, Pinciano, Mureto, Grutero. Erasmo, qui primus manum & limam Senecæ admouit : & sæpè vtilem aut expolientem, est fatendum. Neque enim virum celebrem audio optantem, Ne ille vniquam eum attigisset ! Malignum votum est, & ab affectu, non à iudicio emissum. Ego aliter, & veriùs, enuncio : Nisi ille præuenisset, & explanasset ; salebras & aspera fuisse, ad quæ etiã nunc fortassis adhæreamus. Sed alter ab eo Ferdinandus Pincianus est : vir, vt verbo dicam, germanæ Criticæ exemplar : cui maximam partem sanum Senecam, meo quidem suffragio, transcribas. Bonis in Hispaniâ libris, & benè est vsus : non præceps, non præpes, acutus tamen, & sagacitate ac modestiâ pari. Sed ille in solo textu emendando fuit : sensa non attigit, neque aliter illustrauit. Excepit igitur M. Antonius Muretus, elegantis ingenij & iudicij vir, & adspirauit ad vtramque hanc palmam. Totum Senecam dedit, & aut emendatum à se voluit, aut illustratum. Voluit, causâ duplici vix fecit : & quia labor eum & instantia in talibus (virum nouimus) non sequebatur ; & quia mors affecuta est, & filium hoc operis præcidit. Bona tamen & laudabilia multa sunt : vnum non attollas, imò non toleres, quòd fidenter nimis sæpè contra libros rescribit, & Senecam non eorum fide, sed suo sensu, facit loquentem. Ah, apage. & honos sit scriptoribus prisca, & religio etiam scripturæ prisca : à quâ, si cùm libuit abimus,

A

quid

ij

quid puri aut germani mox erit? Ianum Gruterum nostrum hoc mouit, vt ipse succederet, & Senecam iterum cum libris priscis & chirographis conferret: quod fecit industriè & sic perfectè, vt nimius videri quibusdam aut *μυαεργε* possit. Non mihi. qui in Critico amo sedulitatem & fidem: & hanc etiam in Grutero operam, quòd aliorum passim Notas aut Interpretationes adiecit. Vtui mihi fuit, ingenuè fateor: & amo virum è meà olim disciplinà, nunc & docendo factum. Quid autem ego, post hos omnes? Quod cœpi dicere, iudicio ex iis selegi, & meam etiam operam inspectionemque addidi, & Textum totum reformauì. Non cito passim libros, fateor: quid opus est? semel hìc moneo & clamo, quidquid est, ab iis esse. Pauca fanè à coniecturà nostrà: nisi sicubi ea ita clara est, vt peruicacia sit dubitare. Reliquas, nec paucas aut improbas, magis visum fuit, Notis inferere arbitrandas.

Alterum, quod à me propriè imputo, est INTERPVNCTIO, & sensuum verborumque DISTINCTIO: quæ sic confusa aut indecora antea in Senecà, vt negem in alio scriptore fuisse. Quàm minuta pleraque, & intercisa? quàm diuulsa, aut pendula? Verè erat, quod Caligula obiiciebat (si tamen hoc sensu) *Arena sine calce*. Nos ordinauimus, coniunximus, disiunximus, vt res erat: & præter lucem sententiæ, quam largiter infudimus, faciem eloquentiæ reddidimus, vberis illius & profluentis. Nam hæc ei fuit: *Iudicium* nostrum vide. Tertio,

ARGVMENTA etiam libris scriptisque singulis præposui, & in breuiario quodam Ordinem ac materiam dedi. Hoc quàm vsui lectori sit, & quàm apposita introductio, ipse dicet: ego tantum, difficile mihi fuisse, & supra quàm aliquis credat. Intricatus enim & multiplex Seneca, & parum sæpè (liberè dicendum est) compositus aut digestus. Siue copia rerum hoc fecit, quas accumulauit; siue Stoico quodam more fortasse, materiam & opus parum ab initio ordinauit. Vt cumque est, culpam hanc agnosco: nec nisi iis titulis velo. Quarto,

NOTAS PERPETVAS addidi: atque vno tenore perduxì, ad opus Epistolarum. In iis substiti aut defeci, fateor: & valetudo manum de tabulâ coegit. In loco moneo, & videbis. Sed in prioribus vsque ad diligentiam & stilum extendi, vt etiam minora quædam, & semidoctis obuia non neglexerim: quid ita? quia Senecam producere, & vulgi manibus inferere, votum mihi fuit: ideoque consilium, vulgo etiam hæc adaptare. Qui paucis & doctis modò scribunt, an non famam suam magis,

gis, quàm fructum Lectoris spectant? Istum ego : & scio quædam sapè transiri, aut seponi, vt minora, in quibus & Varro-nes nostri hæreant, cùm disquiruntur. Itaque nihil in pom-pam Notæ istæ dabunt : Senecæ seruient, & illum illustrem, non me volent. Breues etiam sunt : quia ad externa aut alie-na non diffundor. Si quid rituum aut historiæ veteris occur-ret, signo magis quàm explico: quid enim ista ad Senecam pro-priè ? cuius sententiam si capis, boni & legitimi Scholiastæ inunus impleui. Atqui iuuat & pulchrum est ritus illos disce-re, & antiquitatem lustrare. Pulchrum, sed in loco: quid ista ad Philosophiam, quæ hic tractatur ? Qui autem simul omnia volunt & affectant, pulcherrimè cum Polybio gulosis, & im-minentibus conuiuiarum, comparantur. *καὶ ὅσπερ οἱ πλείστον ἀπο- Lib. III.*  
*γενομένοι τῶν ἀσθενειῶν, οὐδέ κατὰ τὸ παρὸν οἰδενὸς ἀληθινῶς ἀπλάσει τὴν βρω- μάτων, οὐτ' εἰς τὸ μέλλον ὀφέλιμον εἶναι ἀπὸ τῆς ἀπάθειας καὶ τρυφῆς κομιζονται.*  
 Nam & illi omnia, quæ apposita sunt, gustantes, neque in presentia cre-  
 fruentur ullo ciborum, neque in posterum digerunt satis, aut utiliter eis  
 nutriuntur : planè hic simile. voluptatis gratiâ degustant & li-  
 bant varia; & sine alio fructu ( Senecæ verbis ) omnia cursum &  
 properantes transmittunt. Itaque vetus meum consilium magis  
 magisq̃ sedet, quo institueram *Facem Historicam*, tum & *Ri-  
 tualium* libros scribere, & in eos congerere, quidquid esset in  
 moribus ritibusq̃ priscis obscurum. Et facem quidem cœpi  
 accendere : in quam grandiores illos ritus, *De Sacerdotibus, De  
 Magistratibus, de Ludis, De Militiâ, De Nuptiis, De Funeribus*, & qui  
 tales, volebam includere: in *Ritualium* autem libros, minores,  
 & singulos suis verbis ac litterarum quodam ordine explican-  
 dos. Sicut Lexica quædam verborum utiliter habemus: sic hæc  
 rerum volebam esse. Vt ecce, in Senecâ occurrunt, *Abdicatio,*  
*Acta, Admissio, Adoratio, Assessor, Atricensis.* Iterumq̃, *Balnea, Ba-  
 silica, Boleti* : &, *Calda, Caldarium, Canusinati serui, Carica* anno  
 nouo, *Ceroma, Cestus* : & vno verbo, quidquid ritum antiquum  
 tangit aut alludit; in isto libro, & suâ quodque litterâ, haberes  
 testibus exemplisq̃ firmatum aut illustratum. Quid opus in  
 singulis auctoribus persequi, quæ omnium fere communia  
 sunt ? Itaque & communis hic quidam velut *Commentarius*  
 esset, *Latinorum, Græcorum; Poetarum, Oratorum, Histori-  
 corum, Philosophorum, Miscellorum.* Hæc, inquam, institue-  
 ram, & materiem ab annis xxv. iam paraueram : disponere &  
 exstruere ætas, & magis valetudo, me vetant. O vtile tamen  
 opus! ô quis æmulatur, & suscipit! trado facem, & vnâ glo-  
 riam,

riam, quæ cum litteris lucebit & viuet. Sed de nostrâ nunc re: breuis igitur fui, nec vagus aut superuacuu: exemplo quidem veterum, quotquot Græci aut Latini Scholiastæ exstant. Iam nuper hæc profluentia cœpit: parum sæpe decora, fatendum est, cum aut palam <sup>\*νεεργος</sup> sunt, & quod dicitur, <sup>\*λυκοδ' πλεγο' ζήλοισι;</sup> aut inepti, & vt aliquid nouæ obseruationis infarciant, *galeam tibiæ, ocream capiti inducunt*. Atqui *Philosophica* etiam, inquires, parcè, & stillicidium de situlâ, donas. In *Notis*, agnosco: sed alibi nōne affatim, & pleno sinu, à me factum? Profudi, quidquid eius opus erat, in tribus *Manuductionis*, totidem *Physiologia* libris: totidem *Ethicorum* restant, si Deus expolire & consummare dabit. Atque eos libros sic institui, vt quamquam à capite sectam sensusque Stoicos ordine exsequar, nihil tamen inferam, quod propriè non sit Senecæ illustrando. Inquire, videbis: & vnâ totum hoc opus probabis, si tibi, cum Homero quidem <sup>\*— αἰφρον' κεδ' ἴν, & θυμὸς ἀγ' ἴνωρ.</sup> Nam quibus alterum abest, volente me à libris iis absint. Hæc si miscere *Notis* ipsis voluissẽ, & suis quæque locis inspergere: quàm floridæ magis & vberes fuissent! Considera, & maciem earum alibi sic excusa. Nam ego rem tuam inspexi: è quâ magis fuit, semel & vno gradu, quàm per ambages aut saltuatim, in Porticum illam induci. En habes, quæ præstiti: sequitur,

\* Nimij.  
\* Laps  
alas que  
vunt.

\* pectus  
prudens,  
animusq;  
virilis.

*Quid te* pariter velim: à quo pauca etiam eo exactum, siue rogatum. Primùm, vt quamquam pleraque omnia Senecæ utilia, & ad vitam; tamen quæ maximè talia, eligas; & ea ad mentem sapiùs referas & ad manum. Inter libros eminent, me iudice, isti: *Dux Consolationes*, *De Providentiâ*, *De Clementiâ*, *De Tranquillitate*, *De Constantiâ*, *De Breuitate vitæ*, *De vitâ beatâ*. Sunt & libri *De Irâ* inter bonos, item *De Beneficiis*: sed in partibus spinas suas aut fastidia habent: alioqui & pulcherrimos ac diuinos locos. In *Epistolis* simile. quarum quædam (Argumenta mea statim dicent) vtilissimæ: & aliæ in argutiis, aut, si res dicenda est, ineptiis occupantur.

Secundò, vt Philosophi, non Grammatici oculis ista legas. id est, rem, non verba cogites: & quamquam ea ducunt, splendida sæpe & magnifica, ab illâ tamen non abducant. Sicut boni canes, non pellem extremam leuiter stringunt, sed ipsam feramprehendunt & mordent: sic te oportet in sensus, non in circumdata verba intentum, eos captare. Atquin aliquid etiam est, vbi adhæreas. Vide an *Notæ* transferent: si non, ipse te transfer. Sicut in viâ, si salebra aut lama obiecta sit, transire quidem

quidem tentas : fin profundius est, nec licet, non stas stupidus, sed circumis leuiter, & iter tuum pergis: ita hic. Tenta & conare semel iterumque capere: non capis, abi. Tertio, vt

Excerpta habeas, & selectas aliquas sententias, siue locos: quas apud te sæpè agites, & in animo reuoluas. Cui vsui alioqui lecta? vt concitemur fortasse, dum legimus, mox calor abeat, & iidem simus: non aliter, quàm spectatores in theatris. Imò verò adhæreant illa, nostra fiant, id est concoquantur.

*Non prodest cibus, ait Seneca, nec corpori accedit, qui statim sumptus e-* Epist. 11.  
*mittitur.* Sedeant igitur in animo fideliter: nec sicut vnguentorum aliquis odor, statim ad aërem dissipentur. Huc te ducet,

aut trahet potius, adiunctus Epictetus, quem lege, & Enchiridium quidem eius edisce. Postrema denique est precatio mea, siue etiam deprecatio. Illa, vt grata acceptaque habeas, quæ feci; hæc, ne culpes nimis aut succenseas, si quid omisi aut deliqui. Ætatem meam vide fatiscentem, valetudinem iam fessam; labores assiduos & scripta, quæ etiam huic operæ interuenerunt: durus es, nisi veniam, non dicam largiris, sed offers. Quòd si quis meliora etiam afferet, faciat: vellem tamen apponi meis (& ex vsu publico esset) non opponi: ego certè me non opponam, & Democriti illud aureum imbibi,

\* *Νόμος, καὶ ἀρχὴν, ἔσφωτέρω εἶκεν.* Vale, & aliis scriptis meis frui te, istis uti, meum est votum.

\* *Legi,  
Magistra-  
tui, & Sa-  
pientiori  
submiti.*

